


nunciavit, & de puncto ad punctum utramque ad invicem confert pro consimili utriusque Ordinis antiquitate. Ubi ad ipsam videtur spectare illud, quod Socrates monet: *age sic alienum, ut tuum non obliviscaris*: nam ego, sicut tunc dubitative, sic modò assertive dico, Pontificem Capucinatorum Ordinem sub talibus antiquitatis notionibus alloqui non potuisse: quòd, si M. Verinus impugnare non potuerit, aut voluerit, satius ex toto hìc tacuisset. Nam PP. Conventualibus diversimodè cum Observantibus comparandis (de quo postea) diversimoda etiam respectu Observantium veluti cœva assignanda est ætas; quos proinde ego à primis Ordinis temporibus non intendebam excludere, præsertim, si verum sit, quod Author *Rationum Historicarum* (qui dicitur esse Antonius Lucci) tenet, suos Conventuales ab ipsamet antiquissima Ordinis Factione *Eliana*, seu *F. Elia de Cortona* personarum successione descendere, quæ factio incepit vivente S. Francisco; an autem tunc non fuerint regulam literaliter *Observantes*, à quibus sine interruptione continuatis nostrum nos habemus descensum, dicemus infra.



## CAPUT OCTAVUM

*De Sigillo Ordinis, & Initiis Re-  
collectorum.*

Num. I. Cùm Mod. Verinus integram Quæ-

X 5

stio-

tionem XIV. instituerit, *de Sigillo Ordinis*,  
 quaritur, quid de illo sentiendum? & respon-  
 deo, hinc non tam attendenda esse insignia Me-  
 tallo insculpta (quæ utique à superioribus mu-  
 tari possunt) quàm ipsas Sigillorum limitatas  
 respectivè, & illimitatas inscriptiones; Illimi-  
 tatae autem inscriptionis usum per Leonem X.  
 soli Observantino Generali, ejusque successori-  
 bus concessum, etiam ex post approbatum, &  
 confirmatum videre poteris cap. 7. n. 6. ubi in  
 sententia decisiva Sacra Rituum Congregatio  
 concludit: *Nihil innovandum; & Ministrum*  
*Generalem de Observantia legitime usum fuisse, &*  
*uti posse titulo, & SIGILLO, cum inscriptione*  
*Ministri Generalis totius Ordinis Minorum.* Et  
 ita servari mandavit die 22. Martii 1631. Hæc  
 Sigilli formalitas non semel, sed sæpius reperi-  
 tur in Leoninis, per quam formalitatem etiam  
 Primatum Ordinis in Observantes se transu-  
 lisse, testatur idem Pontifex in Bulla, quæ in-  
 cipit: *Etsi pro injuncta &c.* Quod eatenus  
 verum tunc erat, & de facto manet, quatenus  
 Prædecessores superiores Ordinis indivisi,  
 seu Conventualium simul, & Observantium  
 Generales, talem Sigillorum suorum inscrip-  
 tionem habuerunt, & ex post solus Observan-  
 tinus Generalis Superior talem secum ducit,  
 usque in hodiernum diem. Quis jam negabit,  
 totum meum intentum, quod M. Verinus tam  
 operosè impugnat, stare in veritate? scilicet  
 tem-

tempore Leonis X. Christophoro Numajo ex Observantibus assumpto traditum fuisse Sigillum sui Prædecessoris F. Bernardini à Prato, qui ante novas electiones, unâ cum Generalatu *totius Ordinis*, etiam totius Ordinis Generalatûs inscriptionem, quam in Sigillo præferbat, utique deposuerat, si non in Capitulo illo Generalissimo, ad manus Præsidentium Cardinalium, saltèm ad pedes summi Pontificis : Electiones enim non instituuntur, nisi Officium vel per mortem, vel per resignationem, simulque per depositionem titularum, seu inscriptionum hujusmodi vacent, & vacans declaratur; quod ex natura rei verum agnoscitur.

Num. 2. Non pugnabo autem cum M. Verino circa ea, quæ pag. 226. adducit, scilicet quòd sit fabula de extradito Sigillo, & quòd Bernardinus à Prato defungens, non adfuerit Observantibus Comitibus sua celebrantibus in Ara-Cæli; sed astiterit Conventualium in Conventu 12. Apostolorum coadunato Capitulo; sicque Sigillum totius Ordinis ad pedes summi Pontificis, vel præsentium in Ara-Cælitano Conventu Cardinalium deponere non potuerit. Item, quòd in Historia non legatur, ex Ara-Cæli ad Apostolorum Conventum fuisse destinatum Nuntium, sive Discretum, ab eoque Bernardino præhabitu, & in plena adhuc possessione detentum Sigillum fuisse expostulatum. Imò ex commiseratione ad ipsum defungentem addit: hoc non fuisse, nisi jam per-

percussis, ac faucis novo ictu novum vulnus infligere, àt ibidem volens aliquid probare adducit, & alibi plura alia. Ast! meminisse potest, ac debet ipse M. Verinus, quòd per Leonem X. Generalissimum totius Ordinis Capitulum, non ad 12. Apostolorum; sed ad Ara-Calitanum Conventum fuerit convocatum, ac proinde ad diem statutum defungens Generalis unà cum tunc adhuc suis Observantibus simul ac Conventualibus, stringente tunc obedientià convenerant, Pontificis iussa audituri; sicque præsens in Ara-Cali erat ille, ad quem M. Verinus Nuntium deputandum fuisse formidat. Nec dubium esse potest vel obiter versato, quin resignatio Officii tunc, & in illo Conventu Capitulari fuerit facta, ut sic utraque pars jam jam dividenda, imò in ipso loco jam divisa, viam haberet apertam ad novas respectivè electiones, per Pontificem præscriptas, & Ordinatas; Nisi violenter nimis velit nobis persuadere, ac reluctanti rationi ingerere, quòd defungens totius Ordinis Generalis, cum suis Conventualibus jam activè, & passivè ad futuram electionem Ministri Generalis totius Ordinis inhabilitatis, fuerit ex loco Capitulari dimissus cum plena possessione sui Officii, tituli, & Sigilli.

Num. 3. Sanè per me licet: secum tulerit ipse Bernardinus à Prato Ordinis Sigillum jam præhabitum, quod ex tunc ipsi amplius servire non

non poterat, nisi pro Metallo; cum formalis  
 ejus usus nedum ipsi, sed & eligendis deinceps  
 separati Ordinis Conventualium Magistris  
 Generalibus perpetuo esset, mansissetque inter-  
 dictus, atque ad Primicerium Observantium  
 translatus, qui solus & unicus se audet dicere,  
 Officii sui Sigillo inscribere, sicut inscrip-  
 tum habet, & habebit: *Sigillum Ministri Gene-  
 ralis totius Ordinis Minorum*, præcindendo  
 ab alio semper mutabili, & sæpe in Ordine  
 mutato figurali, vel signi *TAV.* vel immacu-  
 latæ Conceptionis, vel Spiritus Sancti super  
 Apostolos descendentis &c. Et hoc ipsum su-  
 præ dictum à talibus præcisum, est illud, quod  
 reverà Ministro Generali ex Observantia (in-  
 habilitatis aliis) electo fuit traditum; quòdque,  
 dicente M. Verino, vulnus infixit Conventua-  
 libus. Sanè ex Materialis Sigilli traditione  
 novi dolor vulneris non erat timendus, sicut  
 nec timenda Vilioris materiæ instrumenti ali-  
 cujus amissio, cujus alicui est usus perpetuo in-  
 terdictus, prout illicitus manet Conventualium  
 Primicerio usus Sigilli, quod in sua circumfe-  
 rentia ostendebat: *Sigillum totius Ordinis Minoro-  
 rum*. Neque Caput mihi frangendum prop-  
 ter hoc, quod M. Verinus pag. 225. opponit:  
 Innocentium III. (dum S. P. Franciscum novi  
 Ordinis Generalem instituit) nullum ei tradi-  
 disse Sigillum, ex quo infert, nec F. Christo-  
 phoro Numajo sub Leone X. electo, tale fuisse

extra-

extraditum. Patet enim omnibus, Sanctum Franciscum (qui primus erat futurus novi Pastor Gregis) non habuisse, quod à Prædecessore acciperet, aut cujus Officii acciperet suecessionem; unde hæc mera verba sunt, non farina.

Num. 4. Quoad Sigillum, de quo R. P. Hierotheus in Epit. Histor. pag. 253. ex suo Boverio narrat, qualiter per Carbonarium inter Vepres repertum, & Mathæo Bassio *Fulginium* petenti donatum, in quo S. Francisci Caputium acuminatum, in Capite, & crucem in manu gestantis fuisset effigies; non ego, sed Author Orbis Seraphici Tom. 2. Lib. 10. Cap. 1. n. 5. Boverium refutans dicit: „ de Sigillo antiquo Ordinis, quod tunc subito à quodam Carbonario inventum accepit, qui legunt, & antiquorum amittentium incuriam, & opportunam novæ Congregationi restitutionem (ut quodammodo primatum in Seraphica Religione, tali invento sibi vendicare contendat) nunquam satis admirantur, quod ideo per correctionem S. Congregationis fuit abolitum. „ Hæc ille.

Num. 5. Tandem in suprâ dictis consistebat totum, quod in meo Dialogo, ejusque deinde per R. P. Hierotheum extorta continuatione dixi, ac dicere volui; cum quo & concordant Authores præstantes, imprimis Marchantius in *Fundamenti Duodecim*, part. 2. pag. 238. dicens:

Ne

*Ne Disputationes de nomine orientur, decrevit Pontifex (Leo X.) ut generalis, sic à Regulam purè observantibus electus, vocaretur Minister generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, cui idcirco voluit antiquum sigillum istius inscriptionis tradi; & consequenter voluit Provinciales Reformatos vocari Ministros Provinciales cum inscriptionibus antiquorum sigillorum: quæ utique inscriptiones pro sigillorum formali respicienda sunt, præsertim in sacris ordinibus, qui hæreditariam insigniorum, seu figurarum participationem per naturalem stemmatis descendentiã non habent. Eodem modo etiam Dominicus de gubernantis in suo Orbe Seraphico, Tom. 2. Lib. 5. Cap. 13. loquitur dicens: Observantibus ipsis Leo X. sigillum, & titulum totius Ordinis Minorum Authoritate Apostolicã commisit, qui eodem modo usque in hodiernum diem sinè ullo relaxativo privilegio ad omnimodum rigerem, juxta Decretales Nicolai III. Exiit &c. Et Clementis V. Exivi &c. vivere tenentur; quod in omnibus ferè Comitiis Generalibus totius Religionis nomine, inter primas actiones semper proclamatur, & per expressum Urbani VIII. Diploma fuit confirmatum.*

Num. 6. Cùm autem M. Verinus sæpe per decursum sui *Discursus* Leoninarum non usum, ac inefficaciam obtrudat, & dictum meum de sigillo fabulam vocet; adjiciam hìc, quæ idem Author loco cit. Cap. 16. art. 4. habet „ Quòd

„ 6

„ si respondeas, malè à nobis ad Observantium  
 „ favorem *Unionis & Concordia* sepe repetitas  
 „ Bullas Leonis X. allegari, utpote meram am-  
 „ pullositatem; cum nunquam fuerint in usu,  
 „ ideòque non amplius esse nominandas, nec  
 „ Sigillum Ordinis unquam traditum Observan-  
 „ tibus, sicut P. Gabriel Fabri in præcitato suo  
 „ libro se demonstrasse putabat; nec Generalem  
 „ Observantium super reliquos aliquid habere  
 „ Authoritatis. Ludere potiùs crederem, quàm  
 „ exprobrare velle, quod ad eò est in aperto:  
 „ nempe Observantibus remansisse sigillum, &  
 „ titulum *Ministri Generalis* totius Ordinis Mi-  
 „ norum. Videat aliquis, an Decretum illud  
 „ à pontifice principaliter intentum in Bulla  
 „ *Unionis* de consensu omnium tunc S. R. E. Car-  
 „ dinalium, tempore Concilii Generalis (*Late-  
 „ ranensis*) editum, ad petitionem Imperatoris,  
 „ Regum, Principum, & populorum, causâ  
 „ priùs diligentissimè discussâ, publicatum,  
 „ dicenda sit mera *Ampullositas*? (quæro ego,  
 „ an cum M. Verino dicendum sit *pigmentum, &  
 „ nominis purpurissa, magni nominis Umbra, Larva  
 „ &c.* de quibus Cap. præced.) pergit autem Au-  
 „ thor: „ annon per hoc incautè Pontificiam  
 „ Majestatem offendat? quoniam authenticam  
 „ Bullam, præcipuum, & insolubile pro Ob-  
 „ servantium præminentia fundamentum, ab  
 „ initio usque in hodiernum diem toto, sed irritò  
 „ conatu semper oppugnatam, convellere se non  
 „ posse



„ posse cognoscit, cur primarium ejus Decretum  
 „ *Ampullositatis* arguere voluit? Deinde gratis  
 „ dicit, huic ex Bulla allegationi à P. Gabriele  
 „ Fabri fuisse satisfactum; at, quo fundamento  
 „ dixerit, ex fine litis ab ipso contra hæc assump-  
 „ tæ patet evidentiùs. Lite namque cum fun-  
 „ damentis, illo suo in libro dispositis, contesta-  
 „ tâ, semel, & iterum silentio perpetuo con-  
 „ demnatus cecidit à proposito. „ Hucusque  
 „ ille, ubi NB. quòd iste Gabriel Fabri sit Procu-  
 „ rator ille Generalis Conventualium, contra quem  
 „ procedit decretum S. Congregationis, suprà Cap.  
 „ 7. Num. 7. adductum.

Num. 7. Nihilominùs M. Verinus pag. 227.  
 dicit, antiquum Ordinis Sigillum inter Cim-  
 melia Observantina non esse requirendum; idque,  
 postquam illud pag. 221. inter non entia collo-  
 caverat, paginâ autem 230. annullatum hoc si-  
 gillum cum inscriptione nostri generalis in unum  
 conjungens, cùmque PP. Conventualibus faci-  
 ens causam communem, cum bona (ut inquit)  
 illorum venia existimat concludendum, quòd  
*tam unum, quàm aliud pari, tranquilloque passu*  
*in spatiis imaginariis ambulare meritò sistantur.*  
 Ubi nescio, an à summis Pontificibus studio velit  
 dissentire, vel an loqui tantùm, ut loquatur.  
 Nam antiquum reverà est, & non ab Observan-  
 tibus noviter inventum, seu ad modum solum-  
 modò non entis confictum sigillum hoc cum or-  
 biculari inscriptione: *Sigillum Ministri generalis*

totius ordinis Minorum : Quod attestatur ( ut cæteros omittam ) Gregorius XV. integro post Leonem sæculo in sua Bulla : *Ex injuncto &c.* die 24. Novembris 1621. recitans per extensum , quomodo Leo X. anno 1517. *Sigillum totius Ordinis Seraphici S. Francisci, gradumque Ministri Generalis à Conventualibus ad Observantes transtulerit.* Quid enim clarius in Annalibus , quàm quòd à tempore Eugenii IV. Ministri Generales ex Ordinis Communitate assumpti , ut qualemcunque suam præminentiam super cæteras Ordinis Minoritici partes , ac præsertim super Observantes , qui dicebantur *de Familia* , ostenderent , *Ministros Generales totius Ordinis Minorum* se ipsos inscripserint, talemque Orbicularem inscriptionem in suis sigillistulerint. Quod , si recuses credere : dic obsecro, quidnam illud fuerit , quod Gregorius XV. suprâ per Leonem X. testatur fuisse translatum ; dum & *sigillum totius Ordinis Seraphici, & gradum Ministri Generalis* translata ( vel si tibi magis placet ) inter *Cimmelia Observantia* asserit collocata. Patrum potius tam Conventualium , quàm Capucinatorum sigillum debebat M. Verinus respicere tanquam novum , utpote , quod noviter ornatum , cum sufficiente utrimque restrictione sic inscribitur : *Sigillum Ministri Generalis totius Ordinis Minorum Conventualium ; vel respectivè Capucinatorum.* Cujus inscriptionis nec ante Bullam Leoninam , neque etiam diu post inveniebatur

india

indiciū : quia, ut aliis ostensum est, neutra  
Congregatio, diu post Leoninas, *Ministrum*  
Generalem habuit, aut appellavit; & ante Leo-  
nem X. solus & unicus sub sole erat superior, qui  
se *Ministrum* Generalem totius Ordinis Mino-  
rum, id est, tam *Conventualium*, quam *Obser-*  
*vantium* scribebat.

Num. 8. Quantum nunc ad initia *Recollecto-*  
*rum* M. Verinus pag. 47. more solito (erroris  
ipse reus) variorum errorum me arguit: Imò,  
quoddam Reformationem *Recollectorum* anno  
1525. Illam verò *Capucinatorum* circa annum  
1529. scripserim emeruisse. Ex quibus pag.  
50. infert, me errasse Imò, dum nullā veterum  
scriptorum suffultus autoritate, imò contra  
mei Ordinis *Annalistarum* sensum, ad mentionatum  
annum posuerim *Recollectorum* initia. Me  
errasse 2. dō, dum (ut inquit pag. 123.) Neo-  
*Capucinos* Italos arguo, quod *spiritu* Neo-refor-  
mata *Recollectorum* Familia utpote (prout ipse  
putans dicit.) apud Italos nondum existente, Re-  
formationem extrā Ordinem excitare maluerint.  
Pro quo imprimis rogo, ut revideatur meus Dia-  
logus Cont. pag. cit. An ego de *spiritu* Reforma-  
tione *Recollectinā* vel in verbo conquerar: an  
propterea arguam primos *Capucinos* Italos:  
quin potius ibidem contra redargutionem ejus-  
modi expressis terminis protestor dicens: Ex qua  
(scilicet illorum *Recollectorum*, seu potius,  
prout tunc adhuc vocabantur, *Zelantium* stri-

etiori vivendi modo) nulla imminebat, nec unquam secuta est Ordinis scissio; quam, si etiam primi Capucini ( quorum tamen independens regimen modò non censuro) pariter evitare voluissent, potuissent se illis eo tempore associare; prout etiam Minister Generalis F. Ludovico à Foro-Sempromiano illam, vel aliam sese reformandi occasionem jam tum obtulerat &c. Deinde, quod in illa objectione attinet præsentum errorem meum circa annum originis Congregationis Capucinorum, reservabo pro Cap. sequenti; Quantum verò ad duos illos errores, quos inferendo, & componendo mihi imponit circa Recollectoriam originem ( ut intelligibilius circa ipsam rei veritatem respondeam, vel potius, ut errores hujusmodi benevolus Lector jam absterlos agnoscat ) non ex privato cerebro ( quem sapius infici, & errare contingit ) sed ex Orbis Seraphici Tom. 2. Lib. 7. Cap. 3. [ ubi & scriptorum etiam veterum auctoritates adducuntur ] quid, rei sit, verbotenus describam: non erubescens me errasse, si & viri tales erraverint. Itaque imprimis loco citato legitur:

Num. 9. „ Tabescentibus etiam in Italia  
 „ Fratibus ab antiquo solitudinis, integræque  
 „ perfectionis rigore, atque non quidem in  
 „ essentialibus dissipatâ in communi regulari  
 „ disciplinâ [ ut nimium exaggerabat ante suam  
 „ emendationem Boverius ] sed pullulantibus  
 „ ex præallegata jam causâ Conventuum de Con-

„ ventualitate receptorum, plerisque relaxatio-  
 „ nibus, quæ in Waddingo ad annum 1525.  
 „ Num. 11. & 12. in Haroldo ejus Epitoma-  
 „ tore n. 9. plenè recensentur, eò ferventiùs à  
 „ spiritualis vitæ zelotibus strictioris Observan-  
 „ tiæ in Italiam introductio desiderabatur, quò  
 „ duriùs retardari conspiciebatur. Ipsam non  
 „ tam ex veterum Patrum suorum memoriis in  
 „ mente conceptam, aut in Hispaniis jam felici-  
 „ ter efflorescentem audierant, quàm propriis  
 „ oculis in guadalupensi, Melgario, Angelo,  
 „ Pinciano, ipsorumque sociis, dum pro ob-  
 „ tipenda spiritualis suæ Recollectionis Apostoli-  
 „ cæ confirmatione sæpiùs in urbem peregrinati  
 „ fuissent, aspexerant; unde ardentius ipsam  
 „ expeterent. Franciscus Liehetus 2<sup>us</sup> ex Ob-  
 „ servantia Regulari totius Ordinis Min. Gene-  
 „ ralis, tum Scholasticis speculationibus, tum  
 „ zelo paupertatis, vitæque regularis observantiæ  
 „ longè conspicuus, delatis ad se hæc de causâ  
 „ querelis, ac supplicationibus, spiritualem  
 „ hujusmodi zelum, velut eorum amantissimus  
 „ Pater per assignationem aliquorum Conven-  
 „ tum voluit consolari.

„ Num. 10. „ Primum itaque strictioris obser-  
 „ vantia in Italia principium paulò altius est in-  
 „ quirendum; licet Waddingus gloriæ Fran-  
 „ ciscanæ vindicator incomparabilis, ejusque  
 „ Epitomator Haroldus vix anno 1525. ejus  
 „ aliqualem innuere mentionem, & anno 1532.

„ pro ipsius Apostolica Confirmatione Bullam  
 „ Clementis VII. adnotare videantur; scripsere  
 „ tamen de ipsa, & quidem cum laude, Gonzaga  
 „ in 1. parte ex professo, aliisque pluribus in  
 „ locis occasione arrepta. Marcus Ulissiponenſis,  
 „ Barezzius, Marianus, alique ex Observantia  
 „ permulti: principalius autem Petrus Marchan-  
 „ tius in Chronologia Breui Minorum Generali-  
 „ um, Chronologia verò Seraphica præ cæte-  
 „ ris ipsius veriore Originem latè describens,  
 „ sic exorditur: Circa hæc tempora 49ni Capituli  
 „ Generalis (Anno 1518.) initium sumpsit Re-  
 „ formatorum Fratrum in Ordine Minorum  
 „ proficuum, & laudabile institutum, quod licet  
 „ anno 1525. stabile initium posuerit, attamen  
 „ ab anno 1518. per varios successuum anfractus  
 „ coruscare cœpit. „ *Magis autem ad particu-*  
 „ *laria descendendo prosequitur.* „ Licherus ergo, tum  
 „ Generalem Ordinis Reformationem, tum sin-  
 „ gularium Fratrum ferventiorum spiritum pro-  
 „ movere magnâ zeli sinceritate desiderans, Assi-  
 „ si primùm in Provinciali Capitulo editis legi-  
 „ bus inhibuit per ordinem universum Conven-  
 „ tum sinè speciali licentia multiplicationem;  
 „ perfectiores ex zelantibus destinavit Commissa-  
 „ rios visitatores Provinciarum, quibus & specia-  
 „ lia addidit mandata, & instructiones pro eli-  
 „ minandis ex toto Ordine abusibus, nec non ad  
 „ plenam Religionis Reformationem singulari-  
 „ ter proficuas constitutiones istas cadente  
 „ anno

„ anno 1518. in Capitulo Provinciali Aquilano  
 „ voluit ab omnibus omnium vocibus acceptari.  
 „ Romæ deinde in principio anni sequentis in  
 „ Capitulo Ara-Cæltano; & immediatè in Ca-  
 „ pitulo Neapolitano; in Capitulo Bononiensi  
 „ die 19. Februarii; Cremonæ die 19. Maji; in  
 „ Marchia Anconitana die 10. Junii, ac post  
 „ paucos dies iterum convocatis Assisi Comitibus,  
 „ quibus singulis eodem anno incredibili labore,  
 „ mirâ celeritate, atque indefesso zelo coram  
 „ assistens, pro integra Ordinis reparatione san-  
 „ tissimè adlaboravit. Hucusque ille, qui im-  
 „ mediatè acta, & facta prosequens, fusiùs narrat,  
 „ qualiter die 6. Januarii 1519 certis Fratribus,  
 „ quos nominat, Itémque die 2. Februarii ejus-  
 „ dem anni adhuc aliis specialiter concesserit, ut ad  
 „ certa loca etiam nominata pro reformationis effe-  
 „ ctu secederent; quod ipsum etiam in aliis Provin-  
 „ ciis effectuisse testatur; finalitèrque subjungit: *Hæc*  
 „ *fuere vectora Reformationis Italica primordia.* Ea-  
 „ dem etiam adhuc fusiùs, magisque circumstanz-  
 „ tionalitèr leguntur in Tomo 1mo *Chronologia-*  
 „ *Historico-Legalis Ord. Min. Quæ,* sicut ab initio  
 „ Minoritani Ordinis refert, omnia acta Capitu-  
 „ laria, & Registra Officiorum Generalium Mini-  
 „ strorum, ità & jam adducta refert ad annum  
 „ 1518. ex Regestis F. Licheti à Brixia, post enar-  
 „ rata Acta Capituli Generalis Lugdunensis, quod  
 „ fuit 49num ab institutione Ordinis. Unde M.  
 „ Verino cum discretione considerandum com-

mendo: quòd, si ego tantopere in ejus imaginativa erraverim, ponendo Recollectorum Originem ad annum 1525. quanti consequenter erroris debeat accusare Viros præcitatos: utpote, qui eandem per septenniura adhuc Judicârunt anticipandam. Ego interim ob causam postea assignandam, putabam me, in rebus præsertim successivis in puncto non contingentibus, tutius procedere ex Regula l. 12. ff. §. 9. quod pluris est, utique tanti est.

Num. II. Anno interim 1521. mortuo Frat. Francisco Licheto in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum in loco S. Nicolai intra Carpum eligitur F. Paulus de Soncinno, de quo legitur, quòd zelosè profecutus fuerit, quæ inchoaverat Prædecessor ejus in promotione Observantiæ Regularis. Et tandem anno 1523. in festo Penthecostes, in Capitulo Brugensi (cui F. Paulus de Soncinno Avinione gravi infirmitate detentus, non potuit interesse) electus fuit in Ministrum Generalem F. Franciscus de Angelis, aliàs *Quignonius*: Hic, ut scribit Marchantius in *Chronologia Brevis status Ord. Minorum* circa 48. Capitulum Gen. Reformationes fovit; & ut Recollectorum Domus, pro Ordinis totius veluti Seminario foverentur, methodum pro strictiori Observantia composuit, illamque volentibus se recolligere, ad annum suæ electionis 1523. die 27. Julii in Conventu Vallisoletano tradidit, prout in Re-

gistro



gistro sui Officii continetur ; ut Commissarii Visitatores in Provinciis , in quibus non sunt domus Recollecte , solerter inquirant , & ponant in scriptis Fratres volentes domos Recollectas inhabitare , & Regulam strictius observare , ut eorum devotioni in Capitulis Provincialibus provideatur.

Num. 12. Fatendum equidem, quòd (Quignonso duobus integris annis in Hispaniis ita laborante) in Italia ventus quidam sive timoris vani, sive inordinatæ æmulationis, omne Recollectinæ Reformationis tam solerter inchoatæ incrementum impedierit : absente enim Zelatore Quignonio, Patres istius Familiæ nobis Ultra - Montanæ, ex domorum istarum multiplicatione, & incremento divisionem timentes, ultteriores progressus negabant ; nec Fratribus austeriorem illam vitam desiderantibus, durante illo biennio, permittebatur liber ad illas domos accessus. Fateor insuper, quòd ob hanc causam Matthæus Bassius (qui per hoc anno 1525. occasionem dedit instituendæ Capucinorum Congregationi) assumpto acuminato Caputio aufugiens ad Clementem VII. confugerit, à quo etiam *pro se* licentiam illud portandi, vitamque Eremiticam ducendi vivæ vocis Oraculo impetravit ; Cui se exposi varii adhuc cum simili licentia associârunt, ex qua deinde associatione major divisionis suspicio nascebatur. Votis proinde, ac precibus zelantes Fratres reditum

ditum Quignonii in Italiam præstolabantur. Rediit etiam præfatus Minister Generalis præfato anno, scilicet 1525. in Italiam, advertensque Societatem Matthæi Bassii, sub acuminatis Capitiis ex sibi subditis, Pontifice annuente, augeri ob negatam potissimum sibi Recollectionem; Roman quidem ad 30. Julii anni prædicti ingressus, istius Familiæ Commissarium Generalem *F. Hilarionem Sachettum* durè increpavit, quòd negato spiritualibus Fratibus ad Domos Recollectionis accessu, in causa fuisset hujusmodi Novitatum, ac futurarum divisionum.

Num. 13. Egit autem Concordiæ, & Unionis amantissimus Pater apud Pontificem, ut, quæ *F. Matthæo de Bassio* concesserat, revocaret, & omnes ad unam formam habitus, & Capitiis reducerentur; provisurum autem se, ut Strictiori Vitæ omnibus via aperiretur; quod & Pontifex se facturum promisit. Interea etiam Quignonius promissis suis efficaciam daturus, misit Litteras sub dato 28. Maji an. 1526. ad Conventum *S. Mariæ Angelorum Assisii* (qui & *Portiuncula* dicitur, ac ubi tunc Generalis Congregatio celebrabatur) in quibus reformatam vivendi normam præscribebat, omnibusque Provincialibus præcipiebat, quatenus, crescente Fratrum reformatè viventium numero, in proximis Provincialibus Capitulis alios ad sufficientiam assignarent Conventus, ad quos  
non

non nisi præfati, exemplaresque Fratres destinarentur; ablatâ cuicumque sibi inferiori in contrarium quidquam attentandi facultate. Et reverâ sub hujus Generalis Gubernio teste Marco de Ulissipona *Chron. p. 3. Lib. 9. cap. 16. fol. 289. in princ.* Regularis in Ordine Observantia summo opere floruit; qui anno seq. scilicet 1527. magnorum negotiorum pondere pressus, ob pacem, seu concordiam inter Clementem VII. & Carolum V. Imperatorem componendam, atque stabiliendam, Generalatui renunciavit, totius Ordinis Generalem Vicarium nominans **F. Antonium de Calcena** Provincie Arragonie; atque eodem adhuc anno Cardinalis tituli S. Crucis in Jerusalem creatus est. Qualiter autem ad suprâ dictam summi Pontificis promissionem, mentionatæ Concessionis revocatio facta sit, videbimus Capite sequenti, ubi per M. Verinum afflictis mihi erroribus, trahor ad tractatum de Origine Capucinatorum.

Num. 14. Post hocce Recollectinæ Reformationis per Italiam Initium de anno 1518. post non vulgares ejusdem ibidem progressus usque ad annum 1523. post nonnullas per biennium (quo Minister Generalis, Zelosissimus illius Promotor, & veluti Author, ab Italia absuit); sine recalcitratiōne patienter, & ad majorem, unâ cum insigniori merito, futuram gloriam toleratas sub alternorum Prælatorum resistentias, & quasi suppressiones; nec non post illius anno

1525. per redeuntem in Italiam Lichetum (ut supra visum est) in integrum restitutionem; Pontificio tandem fuit Diplomate Clementis VII. per totum Ordinem eatenus extendenda, quatenus Generali, & Provincialibus Ministris, Cæterisque Ordinis Prælati, & Cuilibet ipsorum, Mandatum existit in Virtute S. Obedientiæ, ut in singulis Provinciis Fratibus Reformationem hujusmodi desiderantibus præter jam reformatos Conventus, alii quoque, si opus fuerit, ad sufficientiam assignentur, in quibus &c. Bulla incipit: *In suprema Militantis Ecclesia specula*, data Romæ 16. Kalendas Decembris anno 1532. Ubi, si M. Verinus fortè velit ad hunc annum Initia Recollectinæ Reformationis ponere: non ipsi irascor quidem, quia posset de Initiis talis ampliationis velle intelligi; monendus tamen venit, quod & alia pro successivis hujusmodi effectibus dentur initia: Scilicet *inchoationis*, veræ *existentiæ*, *promotionis* & *ampliationis Minoris* primum, ac deinde *Majoris*, & *maxima*; quæ si rejiciat, viderit ipse, ubi, vel qualiter Capucinatorum initia ad annum 1525. retrahat; utpote, qui primum suum Pontificium Diploma, & quidem non pro instituta, sed pro instituenda Congregatione viderunt anno 1528. quinto nonas Julii, quòdque incipit: *Religionis Zelus &c.* Et nullum viderunt ab ante, quod de instituenda Congregatione loqueretur, aut de assumendis Sociis; nisi fortè ad certum, & determina-

rum numerum, tunc supplicantium, & pro quibus Magnus Pœnitentiarius Breve expedierat; postea revocatum, de quo postea. Hoc interim ad notandum hic omittere non debui: nempe Italicæ Reformationis, seu Recollectionis Originem hoc præ cæteris in Ordine Minorum Reformationibus habuisse singulare, quod non violenter, seu cum divisione, ex qua totum, utpote divisionis impatiens, connaturaliter delet; non per aliquos particulares obstantâ, vel extortâ quomodocunque facultate, sed per immediatos totius Ordinis Ministros Generales, ut piis Fratrum Spiritualium votis annuerent, fuerit per omnes Provincias immediatè introducta, efficaciterque promotâ, & petentibus Ordinis Patribus, à summo Pontifice stabilita, & uti speramus, nunquam casura. Nunc ad objectiones, quarum M. Verinus sibi solutionem efflagitat, accedamus.

Num. 15. Has Objectiones num. 8. superius expressas dignetur (si fortè M. Verinus non velit) saltèm quicumque alius benevolus Lector cum testimoniis nostris, pro asserta Recollectorum in Italia Origine ad longum adductis, conferre; Et videbit, imprimis falsum esse, quod contra me infertur, scilicet me nullâ veterum scriptorum suffultum autoritate, præfatam Originem posuisse, aut, ut alibi loquitur, finxisse ad annum 1526. Per septennium sanè potuissim ipsam collocare ab ante; sed ne illius veluti per  
bien.

biennium, suppressio, pro totali mihi extinctione forsitan objiceretur (si tamen premi sit extingui) ad istum annum eam securius reposui, quo in integrum denuò restituta, non amittendam amplius, sed Apostolico Diplomate confirmandam stabilitatem accepit. Et cur isti si restitutæ Recollectioni non potuissent se Mathæus Bassius, Ludovicus, & Raphaël, eodem isto anno (ut Epitome Hierotheana testatur) non insimul, sed successivè, & seorsim, licentiam eremiticè vivendi impetrantes, associare? si (ut posui) divisionem evitare voluissent? Imò, si considerentur etiam primi Patres Capucini veluti anno 1528. permitti Congregationem erigere; aut prout anno 1529. primum sibi Caput elegerunt: cur si voluissent, non potuissent sese Recollectioni, jam magis extra dubiam existenti adungere? id enim nullibi tunc exstabat prohibitum, & B. Nicolaus Factor, ipsèque Mathæus Bassius se in effectus iis, quos ad tempus reliquerant, se reassociârunt; quod Bassio quidem M. Verinus negat; sed in Capite seq. probabitur.

Num. 16. Ulteriùs in eodem Contextu arguor infidelitatis in citando, dum videlicet pag. 52. M. Verinus ità se facit audiri: „ Advertant  
 „ imò, Quòd P. Hierotheus non infundatè in  
 „ Epitome Historica dixerit, decidisse ad hæc  
 „ tempora regularis Observantiæ florem, ac de-  
 „ corem vulrus ejus periisse in multis, sub intel-  
 „ lige, *Fratribus*. Advertant 2dò, quòd Ly

„ in multis Continuator in Dialogo omiserit,  
 „ fortassis, ut Lectori ingeneraret ideam, quod  
 „ P. Hierotheus sentiat, palamque affirmet,  
 „ Regularis Observantiae florem, ac decorem  
 „ vultus ejus, non jam in multis; sed plane, ac  
 „ totaliter interisse in omnibus. *Charitas non*  
 „ *agit perperam.* Hæc ille homo quidam.

Num. 17. Ast, si fortè hic M. Verinus omne  
 suum amiserit conspiciendum, rogo cordatum Le-  
 ctorem, ut revideat meum Dialogum Cont.  
 pag. 121. circa finem, an ipsissimis illis R. P.  
 Hierothei Verbis etiam non addiderim, & addi-  
 tum expressè habeam *Ly in multis.* Unde ego in  
 Citatione fidelis Delatorem habeo minùs Justum,  
 & infidelem, nolo hìc applicare multis usitatum  
 proverbium, quod non placet. Posset equidem  
 transire, quòd fallente fortassis oculorum intuitu  
*Ly in multis* in mea Citatione non Observasset;  
 Ast! vix illi ignoscendum videretur, quòd ipse,  
 in lectione errans, insuper fingat, & mihi affingat  
 usque ad eò rationem, propter quam *Ly in multis*  
 fallaciter omisissim, quod tamen nequidem omisi.  
 Verum quidem est, quòd talia ipsius verba pag.  
 sequenti recapitulans, non totum, quod dixe-  
 rat, iterum repetiverim, sicque *Ly in multis* tunc  
 semel omiserim, quia recapitulatio illud non re-  
 spiciebat, quod tamen in principali, parum  
 præviâ citatione tam luculenter expressi, ut non  
 merear de omissione, minùsque de omissionis  
 sinistro fine, ac intentione redargui, nisi fortè

ab illo, qui errat, ut redarguat: prout lupus Ælopi (ut aggrediendi ansam ipse fabricaret) de aquæ turbatione querulabatur.

Num. 18. De cætero, sive R. P. Hierotheus voluerit florem Regularis Observantiæ decidisse, ac decorem vultûs ejus periisse *in multis* requisitis Observantiis, sive (ut ipsum explicat M. Verinus) *in multis* personis, seu *Fratribus*, non amplius disputo; ut tamen *ex multis commune* faciat, incidit in assertum in Boverio per Sac. Congregationem castigatum, dum hic lapsus Regularis Observantiæ communem dixerat: si verò *in multis* *Fratribus* solùm aliquos, seu nonnullos intelligat, Fraternalitas Fraternalitatem salutat; Imò me ipsum ego talibus deficientibus modò adnumero. Si tandem adhuc minus R. P. Hierotheum dixisse M. Verinus voluerit: dicat, quòd per Aristotelem *tria sint multa*; & sic tutius ipsi applicabit ad laudem, quod mihi, meòque *Dialogo Charitativo* ironicè, adeòque adpunctionem applicat, scilicet illud Apostoli: *Charitas non agit perperam*. Interim quidquid Observantiæ *in multis* *Fratribus* tunc temporis dicatur defecisse, multos non minùs, imò plurimos Sanctitate illustres possedit, ac retinuit; etiam postquam flores illos, qui ab illis successivè ad Capucinos transferant, amisisset; de quibus Boverius ad annum 1554. num. 8. loquitur, dicens: *Capucinatorum Religionem, quasi virgultum tenellum terra, sine aqua undique ventis agitatam, cum non prudentiam,*



tiam, non consilium, non doctrinam haberet, quibus se defenderet, divina ex providentia tot viros insignes, doctrinâ celebres, & Sanctitate illustres, præ cæteris autem Bernardinam Astensem ad suam defensionem de Observantibus acciperet. Dumque hunc suæ Congregationis Patrem nuncupasset, eidem elogium illud ex Ecclesiastico Cap. 5. applicare voluit pro Coronide: *Princeps Fratrum, Firmamentum gentis, stabilimentum populi, qui curavit gentem suam. & liberavit eam à perditione.* Similiter de Francisco Titelmano Belgico, de Joanne Fanensi, aliisque de Observantia plurimis fateri non erubescit. Habuit ergo Corpus Observantinum Viros hujusmodi, quorum partem in Capucinos effunderet; & partem nihilominus multò majorem sibi retineret; quantumcunque dicitur in illo, obscuratum aurum, mutatum colorem optimum, atque decorem vultûs de iis periisse *in multis.* Imò partem nobiliorem sibi retinuisse colligit ex eo, quòd de transeuntibus nemo, de remanentibus autem non unus, sed plures ritu solemnè modò sint Canonizati, respectivè & beatificati, alios adhuc tenet Rota Beatificationis, qui omnes (de quo supra Boverius conqueritur) defectum *prudentiæ*, præsertim Serpentinæ, non habentes, alia quoque cum *Consilio* Spiritûs Sancti Charismata possederunt. Cæterùm tam apud nos, quàm apud illos laudatur Deus in Sanctis suis,